

## PROOEMIUM.

**L**ibelli huius conscribendi rationem ut  
tibi, Benevole Lector, breviter ex-  
ponam, mearum partium esse, duxi. Cum  
inter alias disciplinas medicas, iurispru-  
entia medica, in Academia nostra, a me  
tradenda sit; nobis in disciplina hac scri-  
ptores eruditissimos non deesse, facile com-  
peri. Inter hos tamen nonnullos, ob pro-  
lixitatem, praelectionibus academicis mi-  
nus accommodatos esse, ipso quoque eorum  
usu didici. A plerisque etiam Politiam  
medicam iurisprudentiae medicae non satis  
adaequate admixtam esse, salvis aliorum  
iudiciis, censeo; cum illa scilicet, ut sa-  
pientiae pars, ad curiam, haec vero, iu-  
risprudentiam proprius respiciens, ad forum  
pertineat. Has igitur disciplinas seorsim  
pertractare, atque Dominis auditoribus  
meis,

meis, tamquam inter se distantes, propone, commodius visum est. Praeter Politiae medicae dogmata vulgo nota, quaedam longo vsu mibi cognita, & forte haud contemnenda, a me adiecta sunt. Unde catalogus, commodae pharmacopoliorum visitationi inserviens, originem traxerit, in ipsa pertractione indicatum est. Quaedam illi, non tamquam oppido necessaria, sed ut nonnullorum Practicorum sententiis aliquid concedatur, apposita sunt. Herbis officinalibus definitiones Linnaeanae ideo additae sunt; quoniam in siccis etiam quaedam notae adhuc satis conspicuae adhuc distingui possunt. Pharmacorum quo runda vulgo notorum characteres ac proprietates enumerare, superfluum visum fuit. Si Deus vitam concederit, iurisprudentiam medicam, in auditorum meorum usum, etiam brevi editurus sum. Vale interim, Benevole Lector, atque bis, si placent, vtere !

Cap. I.